

<QUAESTIO QUINTA>

Quaeritur utrum aliqua res simpliciter simplex sit in genere. Quod non, probatur. Nam sequitur: Deus non est in genere, ergo nulla res simpliciter simplex est in genere. Consequentia patet, quia omnis creatura vel est composita, vel alteri componibilis; ergo nulla res talis est simpliciter simplex, quia Deus nec est compositus, nec alteri componibilis. Antecedens probatur, quod Deus non sit in genere, posito quod nulla creatura sit nisi tantum unus angelus, qui sit 'a'. Hoc posito, haec est vera: 'Deus et 'a' sunt in genere substantiae, sed Deus est tres personae, ergo tres personae et 'a' sunt in genere substantiae, ergo quatuor personae sunt in genere substantiae'. Tunc sic: quatuor personae sunt in genere substantiae, sed non sunt in genere substantiae nisi Deus et 'a'. Ergo Deus et 'a' sunt quatuor substantiae, sed 'a' non est nisi una substantia, ergo Deus est tres substantiae. Prima consequentia, videlicet quod quatuor personae sunt in genere substantiae, ergo quatuor substantiae sunt in genere substantiae, probatur per Augustinum, 7 *De Trinitate*, capitulo 6, ubi arguit sic: „si essentia foret species, et tres personae individua, tres personae forent tres substantiae, sicut tres homines sunt tria animalia”, et allegat Magister, 1 *Sententiarum*, distinctione 19, capitulo 11. Ergo eadem ratione, si quatuor personae sunt individua in genere substantiae, ergo quatuor personae erunt quatuor substantiae. Sed ultimum consequens est falsum, scilicet Deus est tres personae, quia sic Deus esset tres Dii.

Praeterea, si Deus esset in genere, vel illud genus esset ens, vel aliud ab ente commune Deo et creaturis. Sed ens non potest esse genus, quia omne genus separat illud cuius est genus ab aliquo altero. Hoc patet 7 *Physicorum*: „quia omne genus positum in diffinitione separat diffinitum ab aliquo”. Similiter 3 *Metaphysica*: „ens non est genus, quia omne genus vere negatur ab aliqua differentia”, sicut intelligit Aristoteles. Nec aliud ab ente est genus Deo et creaturis commune, igitur etc., si dicatur quod substantia est genus Dei. Sed contra, Anselmus, *Monologion*, 27, constat igitur quod substantia ista nullo communi tractatu substantiarum includitur; ergo nec ens neque substantia potest esse genus Dei.

Praeterea, quaecumque sunt in genere, habent certam proportionem perfectionis inter se. Sed Deus in infinitum excedit in perfectione omne aliud a Deo, ergo non est in genere.

Praeterea, quae se totis differunt, in nullo conveniunt, maxime si summe differant. Deus et creatura sunt huiusmodi, igitur etc. Minor patet, quia plus differt Deus a creatura, quam creatura differat a creatura; ergo, si sit dare aliqua summe differentia, illa erunt Deus et creatura.

Confirmatur istud per modum loquendi Dionysii, *De Divinis Nominibus*, quod Deus non est substantia, sed super substantiam etc.

Praeterea, nihil communicans in nomine solo cum aliis est in eodem genere cum illis; sed Deo non convenit nisi solum nomen cum creaturis, igitur. Minor patet, *Monologion*, 26 in fine: „si illi substantiae sit cum aliis communicatio nominis, esset valde procul dubio intelligenda diversa significatio”.

Praeterea, omne quod est in genere, est in aliqua eius specie; sed esse in specie repugnat Deo. Quod, si Deus habet aliquem conceptum specificum de eo praedicabile, sit ille 'a'. Et arguitur sic: plus convenit cum conceptu cuiuslibet substantiae, et cum qualibet creatura, quam cum Deo. Ergo non praedicatur in quid de Deo, et si praedicatur in quid de Deo, magis praedicatur creatura

in quid de Deo. Et si hoc, ergo non est conceptus specificus Dei, quia constat quod Deus non est eiusdem speciei cum aliqua creatura, excepta communicatione idiomatum, de quae nihil ad praesens.

Praeterea, si sic, Deus posset diffiniri. Consequens est falsum, quia vel per se, vel per additum. Non per se, quia non habet principia intrinseca, quod tamen requiritur, 8 *Metaphysica*. Oportet diffinitionem esse orationem logicam, quae significet aliquid de aliquo. Genus autem sumitur ab una realitate et differentia ab alia, sed in Deo non est realitas, quia tunc foret compositus. Nec diffinitur Deus per additum, quia omne tale est dependens ab eo per quod diffinitur.

Praeterea, Avicenna, 8 *Metaphysicae* suae, capitulo 4: „Deus non est in genere, quia genus est pars speciei”. Unde omnis species est composita. Unde ibidem probat Avicennas istam conclusionem sic: si necesse est esse habere genus, igitur intentio generis vel est ex se necesse, vel non. Si sic, non cessabit quousque sit ibi differentia; et tunc non foret genus. Si non, ergo necesse est esse constitutum per illud quod non est necesse esse.

Praeterea, si Deus significaretur aliquo conceptu generis, ergo sibi corresponderet aliquis conceptus specificus. Consequens est falsum, quia species praedicatur de pluribus differentibus solo numero; ergo essent multi Dii eiusdem speciei.

Praeterea, Avicenna, 8 *Metaphysicae* suae, in fine: „manifestum est nobis quod primus non habet genus, nec quantita[249a]tem, nec qualitatem, <nec> quando, nec ubi, nec simile, nec genus, nec contrarium, qui est altissimus gloriosus”.

Item, 9 *Metaphysica*, capitulo 17: „manifestum est nobis quod unitas habet principium quod necesse est esse, non conceptum sub genere, neque sub diffinitione, neque sub demonstratione ex parte qualitatis, neque est sibi simile, nec communicans”.

Ad oppositum est Commentator, 10 *Metaphysica*, commento 10, ubi dicit: „esse primum in genere substantiae et merum et perfectissimum est primus motor, qui est principium sicut forma et finis”.

Praeterea, in *Praedicamentis* dicitur: „substantia est genus generalissimum, quia non habet supra se aliquid genus. Et ista substantia dividitur in corpoream et in incorpoream, continet quidem incorporeum Deum et angelum et animam et daemones”. Hic videndum est qualis est conceptus generis. Et dicit Ockham quod omnis conceptus generis est praedicabilis in quid de pluribus differentibus plus quam solo numero, habentibus certam proportionem perfectionis inter se, quorum nullus est pars essentialis alterius per se. Per primum distinguitur a conceptu denominativo. Per secundum a conceptu specifico. Per tertium a conceptu communi Deo et creaturis. Per quartum a conceptu communi qui praedicatur de parte essentiali, ut illud quod convenit angelo et animae. Secundo, dicit quod aliquid simpliciter simplex, puta angelus, est per se in genere, quia sibi conveniunt iste conditiones. De Deo autem tenet sanctus Thomam, quaestio 1, distinctione 8, quod non est in genere propter defectum secundae conditionis, tamen nec eum simplicitas impedit, nec incomponibilitas. Sed non potest ratione probari. Ratio tamen principalis secunda est sua. Tenet beatus Thomam quod Deo repugnat esse in genere praedicamentali ex sua simplicitate, quia talis est sua simplicitas, quod sua diffinitio specifica requirit per se primo modo,

vel secundo quod partibus diffinitionis correspondeat eadem res, et hoc non esset verum, si esset in genere. Secundo, ex eius necessitate, quia sua diffinitio specifica requirit quod quaelibet res in re diffinita correspondens partibus diffinitionis sit necesse esse. Sed diffinitio specifica non requirit sic. Tertio, ex eius unitate, quia eius diffinitio specifica non est nata praedicari de pluribus differentibus numero. Quarto, ex eius infinitate, quia eius infinitas plus excedit omnem creaturam, quam substantia albedinem.

In ista quaestione faciam quatuor. Primo, ponam quasdam distinctiones. Secundo, quasdam conclusiones. Tertio, solvam quaedam dubia. Quarto, dicam ad rationes principales.

Prima distinctio est ista: quod aliquid potest dici 'simpliciter simplex' dupliciter. Uno modo, quod ex nullis re[249b]bus componitur. Secundo modo quia nec ex rebus componitur, nec est alicui rei componibile.

Secunda distinctio est quod aliquid dicitur 'esse in genere' dupliciter. Uno modo, sicut pars alicuius coordinationis praedicamentalis, et sic nihil est in genere nisi vox, vel conceptus, quia coordinationes praedicamentales non sunt nisi de signis praedicabilibus. Alio modo dicitur aliquid esse in genere, quia principaliter significatur per conceptum, vel vocem. Et sic dicitur quod Sortes est in genere substantiae, et color in genere qualitatis.

Secundo, pono quatuor conclusiones. Prima est quod aliqua creatura est simpliciter simplex primo modo loquendo, quia videlicet ex nullis rebus componitur. Probatur: quia capio angelum, quaero utrum est compositus ex materia et forma, an non. Si sic, quaero de sua forma an est simpliciter simplex, an non? Si non, erit processus in infinitum in compositione, vel dabitur aliquid incompositum, quod est propositum.

Sciendum quod ista ratio probat quod est dare aliquid simpliciter simplex per negationem omnis compositionis ex partibus qualitatis alterius rationis, sicut sunt potentia et actus, materia et forma. Sed si diceretur quod aliqua res creata componitur ex partibus eiusdem rationis, vel extensis, sicut calor et lux, vel non extensis, sicut anima et angelus, ut aliqui volunt, dicerentur tunc quod ista ratio contra omnes non concludit, sed omne compositum est divisibile in componibilia in infinitum.

Sed contra istud dictum potest argui quia sic posset Deus causare unum actum successive, sic quod hodie inciperet causare unam partem, et ad mille annos postea foret iste complete causatus, et in toto tempore intermedio continue foret in causari, quod non videtur verum. Forte tamen haec ipsi concederent. Item, si puncta forent res, foret aliqua creatura simpliciter simplex primo modo.

Secunda conclusio est ista: solus Deus est simpliciter simplex secundo modo. Hoc probatur, quia omnis creatura est alteri componibilis. Probo, quia vel est substantia, vel est accidens. Si accidens, patet. Si substantia, potest substare accidenti. Deus autem nullo modo est componibilis.

Praeterea, si esset talis creatura, hoc maxime videretur de angelo. Sed angelus recipit suas affectiones et intentiones, unde Augustinus, 6 *De Trinitate*, capitulo 17: „nihil simplex mutabile est. Omnis creatura mutabilis est”. Nulla igitur creatura est simplex. Videtur autem quod ista ratio debeat intelligi de simplicitate quae excludit cum alio componibilitatem. Unde in eodem capitulo

dicit quod ideo anima non est simplex, quia aliud est cupiditas, aliud timor, aliud tristitia. Ex his patet quod diffinitio puncti non est bene data 1 Euclidis: „punctus est cuius pars non est etc.”. Ita est Deus et ange[250a]lus et anima. Sed sic deberet dici quod punctus est res positionem habens, cuius non est pars.

Tertia conclusio est quod Deus est in genere secundo modo secundae distinctionis. Quod probo sic: omnis conceptus praedicabilis de Deo et angelo est conceptus generis, quia non sunt eiusdem speciei. Constat, ergo non est conceptus speciei nec diffinitionis, sed conceptus substantiae praedicatur in quid de Deo et angelo, et similiter substantia incorporea. Cuius probatio est quia ad quaestionem factam per quid de Deo convenienter respondetur quod est substantia: vel res per se subsistens, et substantia incorporea, vel est in genere substantiae. Nec hoc repugnat eius infinitati, nam si esset unum lignum infinitum, non ideo minus foret individuum de genere substantiae. Nec repugnat ei quod necesse est esse, quia, si corpus coeleste foret necesse esse, sicut quidam philosophi posuerunt, non ideo negaretur esse in genere substantiae. Nec repugnat eius simplicitati, quia angelus est in genere, et tamen conceditur quod est simplex omnino per carentiam quarumcumque partium integralium. Nec derogat eius perfectioni, quod habeat conceptum communem in anima mea sibi et aliis, plus quam derogat eidem quod hoc nomen 'ens' significat eum communiter cum aliis. Nec requiritur quod sit proportio finita inter omnia extrema in genere perfectionis.

Quarta conclusio est quod, proprie loquendo primo modo de esse in genere, soli conceptus et voces, vel saltem signa ad placitum instituta sunt in genere. Hoc patet, quia tantum ista incomplexa ponuntur in genere quae sunt partes propositionum, sed huiusmodi non sunt nisi signa vel conceptus vel voces, ergo. Patet maior, quia sola ista nata sunt esse subiecta et praedicata et solum ista, quae sunt termini cathegoreumatici, sunt ordinabilia in genere, ergo.

Sed contra ista sunt quaedam dubia, quorum primum est utrum simplicitas sit perfectio. Videtur quod sic, quia pro magna perfectione attribuitur Deo et angelo. Similiter suum oppositum est imperfectio. Ergo haec est perfectio.

Secundum dubium est an partes substantiae sunt in genere. Videtur quod non, quia Boethius dicit quod Aristotelis, relictis extremis, scilicet materia et forma, agit de substantia composita. Sed oppositum videtur ex multis dictis Philosophi et Commentatoris, 2 *De anima*, textus commentarii secundi. Dicimus ergo quod substantia est unum genus contentivum substantiarum, aut quaedam est materia, et quaedam est forma. Commentator incipit dividere genus substantiae, et dividit omnia de quibus dicitur substantia sub tribus modis: quorum primus est ut sit substantia; secundus aut materia, aut forma; tertius illud quod constituitur ex his. Haec est sententia Commentatoris, sed plura sunt verba. Item, 7 *Metaphysicae*[250b], commento 7, habetur eadem sententia et in multis aliis locis habetur quod ex non substantiis non sit substantia. Item, haec est praedicatio superioris de inferiori: anima intellectiva est anima; et haec similiter: anima intellectiva est substantia. Item, pars ligni est lignum, igitur pars ligni est substantia. Consequentia patet, quia omnis pars ligni est substantia. Aliter non valeret distinctio de partibus homogeneis, capitulo 1, *De generatione et de augmentatione alias corruptione*.

Tertium dubium: quare conceptus entis non est conceptus generis, cum sit communis et praedicabilis de Deo et creatura.

Quarto, posset esse dubium an genera generalissima et universaliter omnia ordinabilia in coordinationibus praedicamentalibus sint voces, vel conceptus, sicut dicit quarta conclusio. Quod non sint conceptus, probo: omnis conceptus mentis est qualitas, sed substantia est genus generalissimum, et est conceptus mentis. Ergo substantia est qualitas. Conclusio falsa, quia sua opposita est immediata: nulla substantia est qualitas, *Primo posteriorum*.

Secundo, si iste conceptus est qualitas, ergo qualitas praedicatur in quid de isto conceptu. Et iste conceptus praedicatur in quid de Sorte. Ergo qualitas praedicatur in quid de Sorte. Consequens est falsum.

Tertio, tunc tales forent concedendae: animal est conceptus. Consequens est falsum.

Quarto, si omnia praedicamenta sunt conceptus, omnia praedicamenta sunt in genere qualitatis. Consequens est falsum, quia, si sic, qualitas foret superius et inferius respectu sui ipsius. Nam iste conceptus, demonstrato conceptu generalissimo in coordinatione qualitatis, est conceptus. Ergo est qualitas. Et certum est quod non omnis qualitas. Ergo iste conceptus 'qualitas' praedicatur de illa et de aliis. Ergo est communis ad illam et ad illas. Igitur idem respectu sui ipsius est superius et inferius.

Quinto, si sic, quodlibet praedicamentum foret individuum unius praedicamenti, videlicet qualitatis. Et sic foret concedendum quod quantitas sit qualitas, et quantitas est in anima, et pari ratione talis substantia est in anima et multa alia.

Sexto, si sic, accipio conceptum animalis quem tu ponis per se in genere substantiae. Ille conceptus est per se qualitas. Ergo est per se in duobus generibus.

Septimo, tunc unum genus generalissimum foret superius ad aliud sicut ad inferius. Immo qualitas foret genus generalissimum omnibus aliis sic, ergo non foret nisi unum genus generalissimum.

Octavo sic: si omne genus generalissimum est qualitas, substantia est genus generalissimum, ergo substantia est qualitas. Item, Anselmus, *De incarnatione verbi*, vocat illos dia[251a]bolicos hereticos, qui non ponunt universales substantias nisi flatus vocis. Et *De casu diaboli* dicit quod Deus facit omnes naturas substantiales accidentales universales et individuas.

Quintum dubium est quod aliquid simplex potest esse in genere. Et videtur quod non, quia genus et differentia accipiuntur a distinctis realitatibus. Ergo omne quod est in genere, est compositum ex diversis realitatibus.

Confirmatur per Boethium in libro *Divisionum*: genus speciebus materia est. Nam sicut, accepta forma, transit in statum alium, ita genus, accepta differentia, transit in speciem.

Secundo, quia Anselmus dicit expraesae, *Monologion*, 17, quod aliquis dicatur rationalis, et corpus, et homo, non uno modo, vel consideratione. Hoc est dictum quod secundum aliud est corpus, et secundum aliud rationalis. Et singulum eorum non est totum hoc quod est homo. Ergo, secundum eum, homo dicitur corpus secundum unam rationem, et rationalis secundum aliam.

Tertio, quia 5 *Metaphysica*, commento 30: „genus est pars formarum specierum. Forma enim speciei dividitur in genus et differentiam”, et commento 33: „genus est illud quod recipit

differentias et qualitates, et talis est materia". Item, 7 *Metaphysica*, in diversis commentis habentur auctoritates eiusdem virtutis.

Ad primum dubium de simplicitate dico quod, loquendo de simplicitate quae excludit compositionem ex partibus, illa non est perfectio, ad istum intellectum quod omne simplex sit perfectius suo composito. Hoc patet, quia nec materia est perfectior composito, nec forma, nec accidens subiecto. Sed, si loquamur de simplicitate quae excludit non solum compositionem ex his, sed etiam componibilitatem, sic est perfectius. Et sic attribuitur Deo, ut dictum est conclusionem secunda. Nec sequitur: 'suum oppositum est imperfectio, ergo est perfectio', vocando perfectionem illud quod est simpliciter melius ipsum quam non ipsum. Quod autem Deus non potest componi cum alio corpore, videtur, quia forte tunc posset esse perfectius Deo.

Ad secundum dubium dico ad praesens quod partes substantiae sunt in genere substantiae. Et ideo in descriptione conceptus generis nec oportet ponere quod sit praedicabilis de pluribus, quorum nullum est pars essentialis unius per se, nec quod illa plura habeant adinvicem proportionem perfectionis. Contra: anima igitur esset individuum de genere substantiae, et esset compositum, et sic quodlibet individuum de genere substantiae esset compositum ex infinitis individuis. Item, tunc anima foret persona, et sic persona foret pars hominis, et in Christo forent duae personae.

Ad primum istorum concedo quod anima est individuum, et est in genere substantiae, et in genere animae, quia iste terminus 'anima' praedicatur de omni anima in quid. Et animae differunt plus quam solo numero. Ideo anima est genus ad eas, quia omnis conceptus praedicabilis in quid de pluribus differentibus plus quam solo numero, et natus est distinguere ea ab aliis, est conceptus generis. Et quando dicitur: 'tunc quodlibet individuum in genere substantiae foret compositum ex infinitis etc.', concedo conclusionem de corporalibus individuis, quia certum est quod omne tale potest dividi in infinitum. Et non nisi in substantias quae sunt suae partes, ergo etc. Ad illud de persona, dico quod, si persona est rationalis naturae incommunicabilis substantia, et ly 'incommunicabilis' excludit communicabilitatem non solum per praedicationem, sed per unionem formae ad materiam, sicut communiter dicitur, tunc anima non est persona. Si autem descriptio foret 'rationalis naturae individua substantia', ad virtutem vocis loquendo, posset concedi quod anima est persona tam coniuncta quam separata.

Ad rationem secundi dubii quod relictis etc., verum est, quia positio extrema accipit substantias compositas, quia manifestiores.

Ad tertium dubium dico quod conceptus generis debet ipsum quod est in genere aliquo modo distinguere ab aliquo alio. Unde ideo ponitur conceptus generis in diffinitione, ut eius distinctio innotescat saltem ab aliquo.

Ad quartum dubium dico quod omnia praedicamenta sunt in genere qualitatis, loquendo de praedicamentis quae sunt conceptus, vel voces. Nam praedicamenta sunt signa communia instituta, vel naturaliter signa sicut conceptus, vel ad placitum sicut voces, sed qua ratione voces sunt ad placitum institutae ad significandum res, possent lapides institui, si placeret omnibus, ad significandum. Et tunc omnia ista forent in genere substantiae.

Sciendum <est> tamen quod conceptus positi in coordinatione praedicamentali dupliciter possunt supponere, vel per se, et sic vocatur suppositio simplex; vel per suis significatis, et sic vocatur suppositio personalis. Et secundum has diversas suppositiones solvuntur argumenta facta.

Ad primum, quando dicitur: 'omne genus generalissimum est qualitas etc.', hic non est fallacia consequentis, quia medius terminus non variatur. Dicendum tamen <est> quod discursus nihil valet, nam licet non sit variatio medii, est tamen variatio minoris extremitatis. Quia iste terminus 'substantia' in minori supponit simpliciter, et in conclusione forte personaliter; vel di[252a]cendum <est> quod conclusio est distinguenda, eo quod subiectum potest supponere simpliciter, vel personaliter. Sed contra: ista distinctio non debet dari nisi ubi terminus primae intentionis supponit respectu termini secundae intentionis. Sicut hic: 'animal est genus', vel: 'homo est species'. Potest dici quod sic, quia quando videlicet terminus primae intentionis sopponit respectu praedicati termini communis ad secundas intentiones, sicut sunt isti termini: 'conceptus', 'qualitas', 'signum' et huiusmodi, et quando dicitur quod sua opposita est immediata, sicut ista: 'nullum animal est genus', non contradicit isti: 'animal est genus', quia utraque est vera. Nec sequitur est immediata, ergo est falsa, ut dicunt aliqui.

Ad secundum, quando dicitur: 'si ille conceptus est qualitas, ergo qualitas praedicabitur in quid de isto conceptu', consequentia non valet, sed tamen consequens est verum. Et quando dicitur: 'qualitas praedicatur in quid de Sorte', consequentia non valet, quia iste conceptus, qui est 'genus' in coordinatione substantiae, praedicatur de substantia in quid, quando supponit personaliter, sed quando subiicitur respectu istius termini 'qualitas' tantum, accipitur simpliciter.

Ad tertium, quando dicitur quod tunc tales forent concedendae: 'animal est conceptus', 'homo est qualitas', dico quod multae propositiones sunt distinguendae vel non distinguendae secundum usum volentium loqui, vel simpliciter negandae. Unde 'animal', secundum suppositionem personalem, hoc est res pro qua supponit personaliter iste terminus 'animal', non est conceptus. Sed quando supponit simpliciter, vel habet suppositionem simplicem, tunc est conceptus. Eodem modo 'homo' est qualitas quando supponit simpliciter.

Ad quartum, quando dicitur: 'si omnia praedicamenta sunt conceptus, omnia praedicamenta erunt in genere qualitatis', concedo consequentiam. Et conceditur antecedens accipiendo quodlibet praedicamentum, ut habet suppositionem simplicem et non personalem. Et quando ulterius dicitur: 'ergo praedicamentum qualitatis est superius ad omne praedicamentum et, per consequens, ad seipsum', dico quod nullum est inconueniens quod idem sit superius ad seipsum. Tamen dico quod habet diversam suppositionem, unde qualitas est praedicamentum. Quando habet suppositionem personalem, est superius ad seipsum habens suppositionem simplicem, quia, ut habet suppositionem simplicem, est quaedam qualitas mentis, vel intentio quae est in genere qualitatis.

Ad quintum, quando dicitur: 'tunc quodlibet praedicamentum foret individuum unius praedicamenti', conceditur quando supponit simpliciter, non autem quando supponit personaliter. Et secundum suppositionem simplicem conceditur quod quantitas est qualitas, et quod quantitas est in anima, et simi[252b]liter quod substantia est in anima, et quod animal rationale est in anima, quia quando isti termini supponunt simpliciter, supponunt pro intentione quae est in anima.

Et similiter est dicendum ad sextum quod iste conceptus, qui secundum personalem suppositionem est per se in genere substantiae, secundum suppositionem simplicem est in genere qualitatis per se.

Ad septimum dicitur quod unum genus generalissimum non est inferius ad aliud genus generalissimum simpliciter loquendo, nisi quia iste terminus de quo personaliter supponente praedicatur genus generalissimum supponens simpliciter est inferius ad qualitatem quae est genus generalissimum.

Ad octavum dicitur quod discursus non valet, quia minor terminus accipitur diversimode in minori propositione et in conclusione et secundum diversam suppositionem, quia conclusio est vera quando iste terminus 'substantia' habet suppositionem simplicem. Maior autem de virtute sermonis est falsa; aequivalet tamen uni propositioni vere, sicut sic dicendo: 'omne genus generalissimum est qualitas', hoc est: 'omnis terminus de quo praedicatur iste terminus 'genus generalissimum''. Sicut sic dicendo: 'substantia est genus generalissimum, quando habet suppositionem simplicem, est in genere qualitatis', quia tunc supponit pro intentione quadam quae est qualitas.

Ad nonum, de hoc quod dicit Anselmus *De incarnatione* etc., debet intelligi quod universales substantiae non sunt sic flatus vocis, sed solum habeant suppositionem simplicem, et non personalem, quia non sunt nisi conceptus vel voces supponentes personaliter praedicabiles de aliis; vel potest dici quod Anselmus vocat universales substantias illas quae habent influentiam generalem in ista inferiora, sicut sunt corpora coelestia.

Ad aliud dubium dicitur quod illud quod est simplex est in genere. Tamen sciendum <est> quia conceptuum qui sunt in genere, quidam significant composita ex diversis partibus, vel rebus, et tales sunt proprie diffinibiles; alia sunt quae non componuntur ex diversis rebus, sicut simplicia, et illi conceptus non sunt proprie diffinibiles significantes talia simplicia, quia differentia quae est pars diffinitionis exprimit partem rei. Et quia talia simplicia non habent partes, ideo proprie non sunt diffinibilia.

Tunc ad argumentum dicitur quod consequentia non valet. Genus et differentia accipiuntur a distinctis realitatibus, ergo omne quod est in genere etc., quia non omne quod est in genere est diffinibile proprie. Et ad illam Boethii auctoritatem: 'genus est speciebus materia', falsa est de vi vocis, sed debet intelligi quod in diffinitione propria speciei genus se habet per modum materiae, quia differentia ad constituendum speciem additur ipsi generi, sicut forma materiae additur ad constituendum compositum in esse. Ad illud Anselmi, *Monologion*, 17, dicitur quod ipse loquitur de compositis quae habent diffinitionem et sunt in genere.

Ad illud 5 *Metaphysicae* dicendum <est> quod istae propositiones sunt falsae de virtute sermonis, sed debent intelligi pro aliis quibus aequivalent. Unde haec est falsa: 'genus est pars specierum', sed aequivalet huic verae propositioni: 'genus est pars diffinitionis speciei', vel 'genus ponitur in diffinitione speciei'. Et haec forma speciei dividitur in genus et differentiam, hoc est diffinitio speciei constituitur ex genere et differentia, vel habet genus et differentiam in constitutione sui. Et similiter genus recipit differentiam et qualitates, non quod sit aliqua res extra, sicut si sit subiectum aliquod, sed quia generi, in diffinitione propria, additur differentia. Ac si

materiae adderetur forma et aliae differentiae accidentales quando non habemus differentias proprias, adduntur generi loco differentiae propriae ad exprimendum speciem quae per eam diffinitur. Patet, et sic consequenter patet quid dicendum sit ad quaestionem et ad argumenta principalia. Et haec de quaestionibus primi libri.